

cujus munus est constituere ens per se. Consequentia probatur, quia illa natura ex vi talis conceptus sic præcisi consideratur ut terminabilis alio termino, scilicet relatione: ergo nondum per se. Nec sufficit dicere quod consideratur per se secundum quod ly per se opponitur huic, quod est esse in alio, ut in subjecto, non ei quod est esse in alio ut in supposito, vel, ut alii dicunt, est per se communicabiliter, non incommunicabiliter. Contra hoc enim est, tum quia hoc non sufficit ad rationem subsistentiæ, alias humanitas in Christo diceretur habere subsistentiam creatam, quod est hæreticum. Et sequela patet, quia illa natura humana excludit hoc quod est esse in alio, ut in subjecto: nec enim est accidens, sed non excludit esse in alio, ut in supposito, quia terminata non est, nec incommunicabilis: ergo non sufficit habere existentiam non in alio, ut dicatur habere subsistentiam. Tum etiam quia in hoc consistit implicatio, quod dicatur aliquid habere subsistentiam, et tamen maneat communicabile. Nam id quod est communicabile alteri, habet esse ut quod, nec habet existentiam aut subsistentiam perfecte, et complete, sed incomplete, sicut anima rationalis, quæ subsistit communicabiliter, sed hoc ideo est quia subsistit partialiter, seu ut pars ordinata ad totum. Nos autem non concedimus divinæ naturæ subsistentiam partialem, et incompletam, sed perfectissimam: ergo implicamus in dictis, ex una parte ponendo in divina essentia subsistentiam absolutam, eamque perfectam, et non partialem, nec incompletam; ex alia dicendo esse communicabilem, cum in ipsis visceribus communicabilis subsistentiæ imbibitur esse imperfectam, et partialem, et incompletam.

Et confirmatur amplius ista ratio, quia vel essentia divina, quando afficitur personalibus relationibus, redditur per illas subsistens, vel non: si non redditur subsistens: ergo relationes illæ subsistentiæ non sunt, quod negavimus supra, et vere negandum est, cum sint personalitates. Consequentia patet, quia si subsistentiæ essent, redderent naturam quam afficiunt subsistentem: si ergo subsistentem non reddunt, subsistentiæ non sunt: si vero reddunt subsistentem naturam: ergo afficiunt ipsam subsistentiam absolutam, ipsamque subsistentem reddunt, si quidem naturam afficiunt secundum omnia quæ habet, et consequenter subsistentiam ipsam absolutam afficiunt. Subsistentia autem non potest affici ulteriori subsistentia, nisi sit in se incompleta, et imperfecta, seu partialis, quia subsistere per aliam subsistentiam, est reddi subsistentem per illam; et sic non existere per se, sed ab ulteriori termino dependere, cui communicari potest, quod est contra rationem cujuscumque formæ, quæ non potest per aliam similem formari, nisi in se imperfecta sit, sicut una figura non potest ulterius figurari, una actio alia actione produci, una unio alia unione uniri, una species impressa vel expressa alia specie reddi intelligibilis et repræsentativa.

Confirmatur secundo, quia ista absoluta subsistentia habet se ut attributum respectu essentiæ: ergo potest concipi essentia cum præcissione a tali attributo, sicut a quolibet alio. Facta ergo tali præcissione, illa essentia manet ens increatum, et actus purus, et consequenter ut existentia, et esse ipsum a se, et tamen non concipitur subsistens: ergo potest dari conceptus essentiæ, et ipsius esse in Deo sine subsistentia: et tamen ille conceptus est de re

perfectissima, scilicet de esse divino. Sicut ergo tale esse potest concipi sine subsistentia sua absoluta, ita quod subsistentiam habeat per aliquod attributum, cur non poterit eadem essentia, et idemmet esse concipi ut perfectum, et tamen quod non habeat ex vi illius formalis conceptus subsistentiam, sed ex relationibus, sicut in nostra sententia habet ex attributo adjuncto, sine quo concipi potest. Et idem argumentum fit de conceptu naturæ divinæ, quæ concipi potest ut principium quo, et in ratione naturæ, et non concipi ut quod, et tunc concipitur ut est ipsum esse, et nondum ut subsistens: ergo subsistentia subsequi potest ad conceptum perfectum ipsius esse, et consequenter non repugnat illi convenire per relationes.

Respondetur ad principale argumentum, quod essentia divina ex suo formali conceptu non solum habet esse, prout opponitur statui possibilitatis, et ipsi nihilo præcise, sed etiam ut opponitur esse imperfecto, et dependenti, seu habenti illud, ut in alio, sive ut accidens subjecto, sive ut pars toti: sed per se habet esse ut quod, communicabile tamen suppositis relativis, ut terminantibus, et incommunicabilem reddentibus naturam sic personatam. Sed tamen non est communicabilis essentia divina relationibus, ut per illas sortiatur esse simpliciter, quasi per ipsam solum essentia insit relationibus, terminata autem per relationes non solum insit, sed simpliciter sit, et habeat per se esse. Non sic est, sed natura divina a se habens purum, et infinitum atque independens esse, communicat illud relationibus ut sint, et ab ipsis solum accipit terminationem, et distinctionem suppositalem, in quibus una sit. Cujus signum est, quia natura sic communicata non multi-

plicatur, nec in se, nec in suo esse, sed idem esse retinet in tribus Personis. Non ergo communicat illis esse solum ut quo, sed etiam ut quod, quia retinet unitatem suam in tribus illis Personis, et unum esse.

XXII. Ex quo patet ad probationes seu replicas, quæ fiunt contra hoc.

Ad primam dicimus sufficere hoc ad rationem subsistentiæ quando sufficit ad rationem independentis existentiae, et perfectissimæ, quæ non potest concipi sine exclusionemodi essendi in alio, et per aliud. Et ad instantiam de humanitate Christi, dicimus ipsam omni carere subsistentia, quia non excludit omnem rationem existendi in alio: licet enim excludat existentiam in alio, ut accidens in subjecto, non tamen existentiam in alio, ut forma, et pars in supposito: solum enim explicatur nomine humanitatis principium quo homo constituitur ut forma totali, et natura. Unde neque ex se dicit esse simpliciter, et per se, sicut id quod est, sed sicut id quo aliquid est, mediante autem supposito existit ut quod, et sic non habet ex se esse omnino independens a supposito, imo in sententia S. Thomæ nullum esse habet, nisi mediante supposito; natura autem divina independentem a supposito est ipsum esse ex se omnino independens, et perfectum, et per se; et sic ex vi sui conceptus nec habet esse in alio, et in subjecto, nec dependenter ab alio ut a supposito, licet communicetur supposito, non ut dependens ab illo in esse, sed ut ipsi communicans esse ex se, et per se.

XXIII. Ad secundam replicam dicitur non implicare, quod aliquid habeat subsistentiam, et sit communicabilis, non solum sicut anima rationalis, quæ subsistit ut forma incompleta, et informativa ma-

teriæ, sed etiam ut forma perfecta, et in se habens esse perfectissimum, et independens: dupliciter enim potest aliqua forma, seu esse communicari. Uno modo ob indigentiam sui, et ordinem ad aliquid perfectius, ad quod de se ordinatur: alio modo ex abundantia sui, et perfectissima fœcunditate, et infinitate, quia bonum de se est communicativum, sicut subsistentia, et existentia divina communicantur humanitati, et essentia divina in ratione formæ intelligibilis intellectui creata, non ex indigentia sui, sed ex abundantia perfectionis suæ, non accipiendo ab illis esse, sed dando illis perfectionem. Dicimus ergo quod si natura divina esset communicabilis Personis, ut imperfectum perfectiori, ut pars toti, et forma, seu principium quo præcise ipsi composito, et subsistenti, bene probaret argumentum esse impossibile, quod esset communicabilis, sic et quod esset subsistens. Si autem est communicabilis Personis ut habens in se omnem perfectionem, et eam illis communicans per identificationem, talis communicabilitas non tollit subsistentiam, in eo quod communicatur, sed solum quod subsistentia illa non habeat oppositionem, et incommunicabilitatem cum eo cui communicatur. Argumentum vero procedit in his quæ communicantur tamquam res imperfectæ, et ordinatæ ad ulterius esse, seu ab aliquo, in quo, vel per quod habent esse.

XXIV. Ad primam confirmationem respondetur essentiam divinam per relationes reddi subsistentem terminative, et incommunicabiliter, non quia ipsa essentia in ratione naturæ non maneat communicabilis alteri Personæ relativæ, cum sit communicabilis tribus Personis, et non possit habere unum terminum relativum, nisi habeat

aliud correlativum, sed quia essentia divina ut personata, et illo termino relativo affecta, non sit alteri communicabilis, sed opposita. Redditur ergo natura ex se absolute, et communicabiliter subsistens, relative vero, et incommunicabiliter per relativam subsistentiam, non absolute subsistens, et quantum ad independentiam in esse, seu modum essendi, et existendi per se, et non in alio, et ut quod; hoc enim ex se habet, sed communicatur relativæ subsistentiæ ut termino distinguenti et incommunicabilitatem facienti inter terminos relativos, quia oppositionem habet inter illos. Et quando dicitur quod subsistentia seu natura subsistens non potest affici alia subsistentia, distingo; alia ejusdem ordinis, et lineæ, et secundum eosdem effectus formales, concedo; alia diversæ rationis, et lineæ, et secundum diversos effectus formales, nego. Subsistentia autem absoluta habet in sua linea, et ratione reddere divinum esse per se, et non in alio existens, non tamen oppositionem facere, et distinctionem, et incommunicabilitatem, quia hoc pertinet ad lineam relativam. Et licet subsistentia absoluta respectu creatæ subsistentiæ sufficientem distinctionem, et incommunicabilitatem habeat, non tamen intra divinam naturam habet incommunicabilitatem, nisi mediante oppositione, quæ solum pertinet ad lineam relativam. Neque ob hoc ipsa subsistentia absoluta est incompleta, et imperfecta quia ulteriori subsistentia, scilicet relativa terminari potest, quia hoc solum habet locum, quando subsistentia ex tali terminatione perficitur in esse; si autem ex tali terminatione non acquirit esse, sed solum distinctionem, et incommunicabilitatem, et oppositionem in esse quod in se præhabet plene, et perfecte, utpote actum purum,

non quod ulterius acquirit, talis ulterior terminatio non supponit imperfectionem in subsistentia communicabili, sed solum quod non habet incommunicabilitatem, et oppositionem. Unde constat quod subsistentia absoluta est perfecta, licet sit communicabilis, quia incommunicabilitas solum addit terminationem, et distinctionem, quæ ex oppositione relativa dimanat, non actualitatem, et esse; et sic absoluta subsistentia omnem perfectionem subsistentiæ habet, non omnem terminationem. Exempla autem quæ in argumento adducuntur de figura, et actione, et specie, non urgent, quia ibi sunt formæ ejusdem prorsus lineæ, et ordinis, et sic posita una, datur incapacitas ad alteram.

XXV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod subsistentia absoluta non se habet ut attributum, sed ut modus independentiæ, et per se itatis in ipso esse divino, secundum quod tale esse est actus purus, et a se, et in suo perfectissimo conceptu excludit omnem modum existendi in alio, vel per aliud. Et hæc exclusio non fit per attributum superadditum, sed per ipsummet conceptum perfecti esse, et actus puri; præsertim quia attributa se habent ut proprietates, quæ consequuntur naturam tamquam perfectiones superadditæ, aut principia operandi: hæc autem subsistentia absoluta pertinet ad ipsum esse quatenus perfectum est in ipsa linea existendi et essendi, ita quod sicut ipsum esse ratione sui est independens, est perfectum, est non in alio, nec tamen independentia, perfectio, aut exclusio essendi in alio non sunt attributa, sed ejusdem conceptus explicationes, et modi; ita subsistentia absoluta, quæ in his consistit, attributum non est, sed ejusdem conceptus divini est modus, et explicatio. Fa-

temur tamen quod ex nostro modo diverso significandi, et non ratione diversæ rei significatæ potest ille conceptus essentiæ, seu esse divini significari in concreto, et in abstracto, per modum formæ, seu principii quod, et per modum principii quo. Sed hoc totum non est per modum attributi, seu per modum distinctæ rei significatæ, sed per modum diversæ significationis ejusdem prorsus rei, quod scilicet idem esse, seu essentia divina significetur, ut divinitas qua est Deus in abstracto, et ut id quod est Deus, et habens esse divinum in concreto, quod non addit diversam rationem ex parte rei significatæ, sed diversum modum significandi ex parte nostra, quatenus sub modo abstracto, et concreto idem significamus. Et sic patet ad argumentum de distinctione conceptus naturæ ut quo, et ut quod: sunt enim diversi conceptus ex parte modi significandi, non rei significatæ. Ut autem aliquid sit attributum, debet dicere aliquam rationem nostro modo concipiendi, diversam ex parte rei significatæ, quia concipitur ut proprietas superaddita naturæ.

XXVI. Tertio arguitur: Essentia divina semotis personatibus non potest concipi ut principium operandi quod: ergo neque ut subsistens. Patet consequentia, quia subsistentia reddit naturam quæ subsistit tamquam principium quod in essendo: ergo et in operando: nam operatio sequitur esse, et esse ut quod, operatio ut quod: antecedens vero probatur, quia essentia divina semotis Personis relativis non generat, neque generatur, ut definitur can. Damnamus, de summa Trinitate, neque creat res ad extra, quia Personæ creantes sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Unde de Filio dicitur, quod: *Omnia per ipsum facta sunt*. Non ergo deitas sub con-

ceptu præciso a personalitatibus operatur ut quod, et consequenter neque existit ut quod.

Confirmatur a simili, quia sicut hic Deus significatur in concreto ut habens deitatem, ita hic spirator ut habens vim spirandi, sed ly spirator non affert propter hoc subsistentiam seorsum a subsistentia relativa, sed subsistit in subsistentia Patris et Filii: ergo neque hic Deus.

Confirmatur secundo: nam D. Thomas III p. q. II, art. II, probat naturam humanam debere uniri in persona, et non in natura, quia non datur medium inter naturam, et personam; et sic si unio non est facta in natura divina, quod est facta in Persona. At si datur subsistentia absoluta, hæc ratio est inefficax, quia potest fieri unio, nec in Persona, nec in natura, sed in illa absoluta subsistentia: ergo vel ratio D. Thomæ qua probat veritatem catholicam, est vana, vel debet negari subsistentia absoluta. Et in I, distinct. XXVI, quæst. I, art. II, dicit, quod: « Remota relatione non manet subsistens relationi. » Et sic concludit ad quartum quod: « Remota relatione neque Pater est quis, neque Filius est quis. » Si autem natura divina secundum se esset subsistens, utique subsisteret relationi, non autem relatio primo, et per se subsisteret, sed adveniret subsistenti.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicitur, quod divina essentia præintellecta Personis non generat nec operatur ut quod notionaliter, sed operatur ut quod essentialiter, sicut intelligit, amat, creat, providet, etc. quia ad istas actiones non requiruntur per se Personæ relativæ, sed hic Deus ut subsistens operatur, et ut unus, concomitanter autem ut trinus. Non est autem necesse ad hoc ut hic Deus

sit subsistens, quod operetur ut quod, etiam notionaliter, sufficit quod operetur essentialiter. Nam ad operationem notionaliter requiritur non solum virtus operandi, nec solum principium quod quomodocumque, sed oppositum correlative suo termino procedenti, si quidem debet producere aliquid distinctum ad intra, nec potest distinctum esse nisi per oppositionem relativam.

Ad primam confirmationem respondetur non esse simile, quia ly hic spirator non importat ipsam naturam, et esse absolutum Dei, sed potentiam, seu principium spirandi, quod pertinet ad actionem notionaliter. Unde non potest subsistere nisi notionaliter, non absolute. Subsistentia autem notionalis non datur, nisi sit Persona; et sic ly spirator non potest per se habere subsistentiam seorsum a Patre, et Filio, quia non est Persona relativa per se, et consequenter neque subsistentia relativa. At ipsa natura, et esse, per se, et ratione sui dicit esse independens, et non in alio; et sic potest subsistere subsistentia non relativa, neque notionalis, sed absoluta, licet communicabili, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem respondetur D. Thomam non facere illam consequentiam, sed hanc: Natura humana unita est Verbo secundum fidem catholicam: sed non est unita Verbo in natura: ergo in Persona, quia in Verbo non est aliud quam personalitas, et natura; et ita si in natura ei non utitur, debet uniri in Persona. Quare D. Thomas non procedit absolute ex negatione unionis in natura divina, quod unio debeat fieri in Persona, sed supponendo ex fide unionem factam Verbo, discurrit, et probat evidenter quod si non est facta in natura Verbi, est facta in Persona, quia in Verbo non sunt nisi ita duo, personalitas et natura. Nec dicit S. Tho-

mas non dari medium inter naturam abstracte sumptam, seu ut quo, et Personam, et quando id diceret, et intelligeretur de medio secundum rem, et tamquam quid distinctum: nam subsistentia absoluta non distinguitur a relatione.

Ad secundum locum respondetur, quod remota relatione, non remanet subsistens relationi, id est, subsistens suppositaliter, et per modum hypostasis, ut ibi dicit: ratio enim hypostasis dicit incommunicabilitatem, sicut persona; sine relatione autem non datur incommunicabilitas et remota relatione, Pater non est quis, neque Filius, quia tunc non manet Persona Patris, aut Filii, quæ relatione constituitur, sed manet hic Deus, et ille erit quis tamquam subsistens subsistentia absoluta, non quis tamquam Persona, et ut Pater.

ARTICULUS III.

Utrum sint ponendæ in Deo quinque notiones, quatuor relationes, et tres proprietates?

I. Notiones sunt quæ pertinent ad dignoscenda, et distinguenda ea quæ relativa, et personalia sunt in Deo. Unde oportet videre quæ, et quid sint istæ notiones, et quomodo de eis loquendum, prælibando tamen prius, quomodo a nobis Trinitatis mysterium possit cognosci.

EX NATURALIBUS EFFECTIBUS EST INCOGNOSCIBILIS TRINITAS.

II. Ut tractet D. Thomas quæstione XXXII, de notionibus quibus distinguimus, et discernimus in Deo relativa ab essentialibus, et Personas inter se, præmittit, quomodo mysterium Trinitatis a nobis cognosci-

bile sit per naturales rationes. Dicuntur autem naturales rationes illæ quæ deducuntur ex effectibus ordinis naturalis. Ex effectibus autem supernaturalibus deduci possunt rationes altiores, quæ si discursu nostro acquisitæ sint, pertinent ad theologiam. Solet autem agitari ista quæstio de mysterio incarnationis ad quæstionem primam in tertia parte, et quæ ibi dicuntur procedunt communiter respectu omnis entis supernaturalis. Specialiter autem in præsentia, quia hoc mysterium non est aliquid factum, sed increatum, et intra Deum, est difficultas, an per aliquem effectum manifestari possit, sive naturalem, sive supernaturalem. Et quidem de effectu supernaturali, sicut est visio Dei actus fidei quo creditur Trinitatis mysterium, et aliis similibus, solet id disputari tertia parte, quæstione undecima ubi agitur, an Christus per scientiam infusam cognoverit evidenter mysterium Trinitatis quoad an est. Nec aliud in præsentia tractari potest, quam de cognitione hujus mysterii quoad an est: quidditative enim evidenter non potest attingi, nisi per visionem claram Dei.

III. Supposita distinctione data quod aliqui effectus sunt naturales, alii supernaturales, adhuc isti effectus supernaturales possunt considerari dupliciter. Primo, ut præcise sunt effectus, et respiciunt omnipotentiam Dei ut causam efficientem, eamque terminant. Secundo, ut respiciunt Deum tamquam objectum, et causam formalem specificantem, sicut visio beata respicit Deum ut objectum specificativum suum, non solum ut est unus; sed etiam ut est trinus; et fides respicit idem objectum ut proprium, et immediatum; et unio hypostatica, quæ facta est, respicit Personam relativam Verbi ut terminum unitum.